



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

Exaltatio S. Crucis. 14. Septembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

14. Sept. VITÆ SANCTORUM. 575  
texit, insulæ etiam hæres MAURILLI,  
cujus ultima moribundi ad astantes illa  
vox perhibetur cogitarent, quas generent  
animas, pretioso, ab! nimissimlytro, Chri-  
sti sanguineemptas esse. O juventus Par-  
thenia, etiam tu animo hæc volveres!  
Tantillo animas non venderes. Ex Surio.

Quomodo redamabis, anima, vitæ tuæ  
gratuitum largitorem, largissimum admi-  
nistratorem, pium consolatorem, sollicitum  
gubernatorem, copiosum redemptorem, æter-  
num conservatorem, ditatorem, glorificato-  
rem? S. Bern. op. de Char. c. 5.

### EXALTATIO S. CRUCIS.

14. Septembris.

S I minùs bellare feliciter, certè præ-  
dati novit Cosrhoas, qui cùm cap-  
tam toties Hierosolymam ipse etiam ce-  
pisset, prædam nimùm quantum ma-  
gnam Crucem Sérvatoris in Persidem  
asportavit. Doluit Christianus Imp. He-  
raclius spolia hæc Christianis detracta  
esse, & cælo auctore armis commune  
omnibus Christianis dedecus aggressus  
abolere, ternas copias Cosrhoë toti-  
deinque Duces felici Marte devicit,  
fortissimè Christianis utpote pro signis  
suis dimicantibus. Cosrhoas dum fugâ  
Tigrum trajicit, socium regni filium  
minorem Mardeslam sibi adseiscit. Id  
maximus natu Syroës impatienter  
ferens,

576 VITÆ SANCTORUM. 14. Sept.  
ferens, gemino parricidio & fratrem &  
parentem sustulit, pactusque regnum  
cum Heraclio pro cruce est stultissimus  
mercator. Hanc porrò Heraclius cùm  
imperorio habitu fulgens eò ferre vel-  
let, quò primò Servator tulerat, nec ta-  
men, occultâ vigradum morante, proge-  
di jam posset, monuit Præful Zacharias  
fastum ponere & aurum nimis animo o-  
nero sum; nescire crucem purpuram, nisi  
quæ de Christi sanguine ruberet, sed ne-  
que coronam nosse, quam spinæ non or-  
narent. Aliter ergo triumphandum sibi  
esse intelligens Heraclius, nudus pedes  
& plebejam togam induitus facile jam  
pedem promovit, & sublimem crucem  
loco suo & honori restituit. Hæc Exalta-  
tæ Crucis festa initia ajunt. Nego ego,  
cum bona pace Heraclii, ea Christo pri-  
mitus adscribo. Ex Brev. C. Baron.

*Intuere ne mortiferam crucem efficias,*  
*in quâ facies Filium Dei amaris dolori-*  
*bus interire: superbia superius, insé-*  
*rius luxuria; à dextris prosperatio ini-*  
*quitatis, à sinistris adversitatis despe-*  
*ratio, spinas, clavos & lanceam Filio*  
*Virginis repræsentant. S. Petr. Dam-*  
*ser. I. de Exaltat. S. Crucis.*

S. A. L.